



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio I. Variæ acceptiones & nomina relationis ponuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

Quæst. I. De acceptionibus relationis. 669

DISPUTATIO XII.

De prædicamento ad aliquid seu Relationis.

QVÆSTIO I.

Varie acceptiones, et nomina Relationis ponuntur.

1.  VINQUE nominibus afficitur, appellaturque hoc prædicamentum, quod teste D. Augustino *lib. decem categoriar. cap. 11.* latine ad, aliquid græce, *πρὸς τι* conicitur; de quo Aristoteles in *Dialectica lib. de categor. & in metaphys. lib. 5. c. 15.* latissime egit.
2. Primo vocatur nomine ad aliquid, ut denotetur teste D. Thoma *5. met. lect. 17.* totum esse huius prædicamenti esse ad aliud se habere; nullo enim modo possumus intelligere relationem, quin aliud distinctum ab ipsa intelligamus, tanquam terminum essentialem tendentiam illius in ordine ad quem habet totum suum esse essentiali, ratione cuius Augustinus Nypheus *lib. 5. met. disp. 12. cap. 2.* relativa, inquit, e quibus relatio dicitur ab Aristotele ad aliquid dicuntur, eo quod non possit alterum correlativorum intelligi, quin & alterum intelligatur, & propterea Aristoteles in prædicamentis ait relativa dici; *πρὸς τι τὰ τοιαῦτα λέγεται, ὅσα αὐτὰ ἀπὸ ἐνός, ἑτέρου ἢ ἑτέρων τῶν ὑποκειμένων ὡς ἑσώτερων, id est, ea vero dicuntur ad aliquid quæ id, quod sunt aliorum esse aut ad aliud esse dicuntur.*
3. Petrus Gregorius Tolofanus, tam connexa sunt, inquit relativa cum alijs, eaque est natura illorum, ut vno illorum posito, aliud ponatur, & vno sublato, tollatur, & alterum; tunc ergo inquit D. Augustinus *lib. de decem categor. cap. 11.* & vere, & proprie ad aliquid dicitur, cum sub vno ortu, atque occasu, & id quod iungitur, & cui iungitur, invenitur, ut puta, servus, & Dominus, utrumque vel simul est, vel simul non est, etenim cum Dominus dixeris, necessario existet & servus, cum vero Dominum subtraheris, nec servus apparet.
4. Quibus consonat D. Isidorus *originum lib. 11.* dum ait: relatio est, quæ refertur ad aliquid; cum enim dicitur filius demonstratur, & Pater; hæc relativa simul incipiunt, nam servus, & Dominus vno tempore exordium nominis sumunt, nec aliquando invenitur Dominus prius servo, cum autem à D. Augustino dicitur, & à Gregorio Tolofano assertur, quod posito vno relativo ponatur, & aliud, & vno sublato auferatur, & aliud intelligendum est de positione, & ablatione relativi, quatenus relativum est, non autem de absolute talis relativi, nam mortuo patre, remanet substantia absoluta filij: sed non remanet filius quatenus filius relativus; cum enim perit caro paterna, perit relativa ratio filij, ut scribit D. Chrysostomus in *posterioribus homilij super mattheum homilia 33. in cap. 20. Mathei.*
5. Hinc fit, relativa videri habere quandam qua-

si vnam communem naturam, quia vno sublato alterum non subsistit, nec scientia sine scibili, nec opinio sine opinabili est, & e contra, quomobrem apud Iuriscultos etiam relativum est in eo, quod refert, & eiusdem naturæ correlativa censentur apud Papinianum in *lege 77. ass. toto de hereditibus instituendis lib. 28. tit. 5.* & apud Marcianum Iuriscultum in *lege 18. cum servus de conditionibus, & institutionum lib. 28. tit. 7.* quare cum natura vnius relativi ita ab alio dependeat in esse, & ad aliud totum suum esse habeat iure optimo ab Aristotele hoc prædicamentum ad aliquid nominatur; quod confirmat D. Augustinus *lib. decem categor. cap. 11.* ibi. Ad aliquid; ergo categoriam vocamus eam, quæ id, quod est, dicitur ex altero sine cuius societate esse non possit, & cuius vis omnis ex alterius coniunctione descendit, ut maius minoris dicitur maius claret igitur ad aliquid non sua vi; sed alterius coniunctione consistere.

Etiā dicitur ad aliquid, quia relativa non solum in esse, ut auctores supra relati asserunt: sed etiam in sui cognitione maximo necessitudinis, ac connexionis vinculo inter sese connectuntur, ac colligantur, nam qui determinate, & definite novit vnum relativorum, necesse est ut per consequens noscat, & alterum; qui novit enim quid sit Pater, & cur ita dicatur, novit statim quid filius, & quare ita dictus: sic de reliquis. Quomobrem, & circumfertur illa vulgaris paræmia, cognito vno relativorum, cognoscitur, & alterum, & correlativorum eandem esse disciplinam. Si enim dicas Dominum, statim necessario consequens est ut scias cuius sit Dominus, & habere servum. Quod, & in contrarijs verum est, quia relativa etiam contrarietatem admittunt, ut primo axiomate diximus, & utrumque tam de contrariis, quam relativorum mutua cognitione ex altero eorum, tradit Aristoteles. *5. Ethicorum, & Caius Iuriscultus in l. 1. de his, qui sunt sui, vel alieni iuris lib. 1. c. 6. videamus, inquit, de his personis, quæ alieno iuri subiectæ sunt: nam si cognoverimus, quæ istæ personæ sint, simul intelligemus, quæ sui iuris sunt, & Iustinianus in §. 1. de tutelis, lib. 1. institutio. iuris civil. tit. 13. ex personis, inquit, quæ in potestate nostra sunt, quædam vel in tutela sunt, vel in curatione, quædam neutro iure tenentur. Videamus ergo de ijs, quæ in tutela, vel curatione sunt, ita intelligemus cæteras personas, quæ neutro genere tenentur, facit l. qui accusare ff. de accusat. item §. 1. de his, qui sunt sui vel alieni iuris in instit. civil. lib. 1. Item 1. Pomponius §. sed & i, ff. de procurat. & alia similes. Considerare itaque debemus, ad quid referatur actio, vel oratio nostra; nam per eam considerationem multum variatur rerum, & actionum tractatio, ut qui explanaturus est facultates naturales, oportet consideret primum ad quid sibi proponat, num spectet, vel ad facultatem hominis, vel brutorum vel alicuius horum, vel inanimatorum dirigatur intentio, ni errorem committere velit, ut scribit Galenus *tom. 5. lib. 3. de naturalib. facultat. cap. 2. & 4.**

Secundo vocatur hoc prædicamentum ordo, 7 hebraicè *דָּוָר*, vel *דָּוָר*, & tandem *דָּוָר*; græcè *κατακοσμία* *ἡ τῶν ὅρων*, aut *συρτάξις*, vel *οἰκονομία*, ordo nihil aliud est secundum D. Augustinum *lib. 19. de civit. Dei* quam partium, dispartiumque rerum sua cuique loco tribuens dispositio, quibus

PPP 3 confo.

consonat Cicero *officior.* 1. 19. dicens, ordo est compositio rerum aptis, & accommodatis locis, vel ut Plinius *lib. 11. cap. 37.* est digestio, & in suo cuiusque rei loco collocatio; ordo autem ab ore dicitur, ut inquit Isidorus, quia quod ordine ore in locum redigo proprium, hoc est ore pronuntio, qui cuique locus esse debeat, & ore digero seu unumquodque ore in suum locum dirigo, ac dispono hoc vel illud in tali, vel tali loco cum proportionem, quod clare expressit Virgilius *Eccloga 1. vers. 15.*

Inferre nunc Melibæ pyros pone ordine vites.
8 Hoc est fructiferas arbores suis, aptisque locis dispone ut cultura, & pulchritudini deserviant, quod alibi Cicero de senectute 55. profert ibi: pulchrum videtur dirigere in quincuncem arborum ordines, qui ordo adeo necessarius est, ut sine illo res omnes funditus corrumpant, & labantur, ut ait Alter.

Ordine servato mundus servatur, at illo Neglecto persum totus, & orbis abit;
9 *Machina perpetuo celestis ab ordine pendet.*
10 Et Boëtius *metro 6. lib. 1.* sic quod præcipiti via certum deferat ordinem.

Latos non habet exitus.
11 Sumitur aliquando ordo pro eo, quod vulgus statum vocat Hispanice *Estado, y dignidad*, Cicero *tertia in Verrem*; Marcus Octavius hominem ornatissimum loco, ordine, nomine, virtute. Vitruvius in *præfatione lib. secundi*; Dinocrates, inquit, Architectus cum Alexander rerum potiretur, profectus à Macedonia ad exercitum Regis, à propinquis, & amicis tulit ad primos ordines, &c. eodem modo vitur Virgilius 5. *Æneidos* 49.

Tum satis Anchisa delectos ordine ab omni.
12 Vbi servius ordine ab omni, id est ex omni qualitate dignitatum, quod apud Romanos in legatione mittenda hodie quoque servatur. Ordo amplissimus Senatorius vocatur à Cicerone pro domo sua ad Pontifices; quid cum Senatum pro me non modo propugnare amplissimum ordinem, sed etiam plorare, & supplicare mutata veste prohiberent. Statius similiter loquitur 5. *Silvarum* 1. præstantior ordo Tribuni.
Et Horatius 3. *carminum* *Hode 3. & 8.* quieti ordines Deorum.

13 Hinc evenit, ut Sacerdotium, quæ maior omnium dignitas est, ratione cuius dixit D. Petrus genus electum regale sacerdotium ordinis nomine insigniatur, ac proinde qui sacerdotio initiatur ad factum ordinem promotus dicitur, & admissus, pueri, inquit Gregorius *epist. ad Columb.* ad sacros ordines nullatenus admittantur, ne tanto periculosius cadant, quanto citius conscendere ad altiora festinant. Et Origenes super *Levit.* agnoscat unusquisque ordinem, ac dignitatis statum, & quid dignum sit eo ordine, quem suscipit, intelligat, & libet actus suos, ita etiam sermonem, incessum quoque, & habitum moderetur, ut cum ordinis sui professione, & dignitate conveniat, ne audiat dici ad se à Deo, propter vos blasphematur nomen meum inter gentes.

14 Ratio autem, quare Dialectici hoc prædicamentum Relationis, ordinem vocaverint est, quia sicut ordo in tota sua significatione non potest vlllo modo salvari sine multis, inter quæ sit, quod patet ex Gregorio Nazianzeno in *oratione funebri pro laudibus Basilij*, dicente cum multa ordo exigit, quibus conservetur, quæque maxima afficiat pulchritudine, quis in vno dicat, posse ta-

lem ordinem consistere; quod confirmat Cicero, siquidem quotiescumque de ordine loquitur, asserit, inter multa consistere, & conservari; vnde *lib. 2. de natura Deorum*, ordo ait sempiternus rerum omnium celestium, & 2. *de Oratore*, ordo argumentorum in dicendo plurimum potest; & 1. *de Divinatione*, ordo inquit, seriesque causarum, & Virgilius 7. *Æneidos* 9.

Maior rerum mihi nascitur ordo;

Et 5. *Æneidos* 24.

Terno consurgunt ordine remi.

Tandem Statius 8. *Thebai.* 1.

Dispositi in turmas iterum, legemque severi

Ordines.

Itaque ordo, sive significet dispositionem in loco, petit plura, quæ sic disponantur necessario, sive significet dignitatem necessario exigit plures, inter quos emineat tali dignitate præditus, sed etiam relatio necessario petit duo, fundamentum nimirum, & terminum sine quibus nec fieri, nec esse, nec conservari potest vlllo modo; igitur a quo iure ordo vocatur.

Tertio vocatur respectus, est autem respectus, ut 16 optime adnotant Doctores à respiciendo, seu respiciendo, apud Ciceronem vero non solum significat retro aspectum, sed etiam rationem, & observantiam unius personæ in aliam Hispanice, *guenta, o respecto*. Tullius, cum respectum non haberem ad Senatum, & ad bonos; & Livius, sed factione respectuque rerum privatarum quæ semper officeret, officientque publicis consilijs, &c. eos namque quos observamus, quasi respicimus, cum nos cohibemus ab aliquo malo, quod aggredi volebamus; addit Cellius in suo *Thesauro*, respectus logos ratio, quæ ad aliquid agendum movemus, Martialis *lib. 11. 43.*

Sis pudor, & tandem veri respectus, & equi.
Cicero ad *Brutum*. Meus quidem animus in acie 17 est, neque respectum vllum querit, nisi me vtilitas civitatis forte converterit; significat etiam respectus aspicere aliud, seu in aliud oculos convertere, hinc philosophi, ut advertit Hurtado, respectum, & relationem sine discrimine usurpant; nam quod ad aliud refertur illud aspicit, ut pater filium, & quasi illi sistitur è regione.

Ultimo appellatur hoc prædicamentum relatio, id est actus referendi, *αναφορα αναφερα*, à verbo *refero* suum originem ducens, quod idem significat, quod retrosum fero, hebraice *נשוא*, græce, *αναφορα*, Hispanice, *traynar a traer lo llevado*, Cicero ad *Atticum* epistolam ad me referri volo. Auster me in Italiam retulit; aliquando ponitur pro eo quod vulgo dicimus, proponere, vnde relatio propositio erit, dicimus enim, ut advertit Ambrosius Calepinus, referre rem aliquam ad Senatum *αναφορα* propositum *συνηκτο*. Cicero 2. *Caillinar*. reliquis autem de rebus constituendis, mutandis, agendis iam ad Senatum referemus, hoc est in Senatu agitandas, decernendasque proponemus. Virgilius 3. *Æneidos*.

Delectos populi proceres, primumque parentem,

Monstra Deum refero.

Aliquando sumitur pro nuntio, narro, ut Vir-

gilius 3. *Æneidos*.

Referes ergo hac, & nuncium ibi pelida genti-

tori.

Inde relatio narrationem alicuius rei significat, relatum vero est ipsa res narrata, quæ significatio est Tullio per familiaris, sicut est fami-

liare ipsi Ciceroni verbum, *refero* usurpare pro

dirigere

Quæst. II. Vtrum relatio distinguatur, &c. 671

dirigere, seu in aliud tendere, tanquam in finem, omnia, inquit, ad eorum voluntatem dicta factaque referantur; relatio autem erit ipsa directio, seu ratio, per quam res in aliud diriguntur. Unde constat semper respicere aliud, quia vero collatio, vel directio est ad aliud, ea ratione prædicamentum hoc ad aliud, & relationis nominatur.

QVÆSTIO II.

Vtrum relatio distinguatur à suo fundamento.

SECTIO I.

Sententie Adversariorum proponuntur.

P R I M A sententia negat, relationem distinguere in re aliqua distinctione actuali à suo fundamento: sed tantum distinctione rationis, habente in rebus fundamentum aliquod: hanc sententiam patrocinantur multi Theologi, præsertim Nominales in 1. dist. 30. Oxam quæst. 1. dist. 31. Gregorius & Egidius in 1. dist. 26. eandem tenet Hervæus; ex neoteris ex parte consentit P. Vazq. tom. 2. in primam p. disp. 153. qui in initio capituli secundi ait, creationem esse relationem creaturæ ad creatorem, & cap. 3. hæc verba profert: probabilius sententia est relationem creationis non distinguere realiter à substantia creaturæ, ut optime convincit Scotus q. illa 58. ad quæstionem istam; hac ratione, quotiescunque relatio, & substantia, seu absolutum ita se habent, ut vnum sine alio etiam de potentia absoluta Dei, nequeat esse, non possunt distinguere realiter, aut saltem nullum habemus argumentum ad probandam distinctionem realem inter ea: sed ita se habent relatio creationis, & creatura: ergo non possumus asserere ex natura rei distinguere. Dixi ex parte consentire P. Vazq. quia de alijs relationibus videtur asserere distinguere ex natura rei à fundamento.

2. Clarius autem Pater Suarez defendit hanc sententiam 2. tom. metaphys. disp. 47. sect. 2. num. 22. ubi hæc profert verba. Inter has ergo sententias mihi maxime probatur quinta, quam Hervæus, & nonnulli alij Thomistæ docuerunt, à quorum sensu fecerunt nihil discrepare Nominales, & Aristoteles, & D. Thomas multum favent; hæc tamen sententia ita est interpretanda, ut non intelligatur rationem formalem relationis esse nihil, aut denominationem relativam esse mere extrinsecam sumptam ab aliqua forma absoluta: iuxta hunc enim sensum omnino ea verteretur, & è medio tolleretur reale prædicamentum ad aliud: sed intelligendum est relationem quidem dicere formam aliquam realem, & intrinsecam de nominantem proprium relativum, quod constituit; illam vero non esse rem aliquam, aut modum ex natura rei distinctum ab omni forma absoluta: sed esse in re formam aliquam absolutam non tamen absolute sumptam: sed ut respiciantem aliam, quam denominatio relativa includit seu connotat. Ita ut similitudo, v. g. ali-

qua forma realis sit existens in re, quæ denominatur similis, illa tamen non sit in re distincta ab albedine quantum ad id, quod ponit in re, quæ dicitur similis: sed solum quantum ad terminum, quem connotat, & ita similitudo in re non est aliud quam ipsamet albedo, ut respiciens aliam albedinem, tanquam eiusdem, seu similis rationis. Atque hæc distinctio rationis sufficit tum ad diversas loquendi formas, tum etiam ad prædicamentorum distinctionem: nam ut supra diximus prædicamentalis distinctio interdum est sola distinctio rationis cum aliquo fundamento in re, ut de actione, etiam & passionem, & de alijs prædicamentis inferius dicemus. Atque hæc sententia magis declarabitur, tum ex solutionibus argumentorum, tum etiam ex sequentibus sectionibus: sic explicata sententia probatur.

Primo ex Damasceno in sua dialectica, cap. 50. ubi sic ait: Oportet, ea, quæ ad aliquid dicuntur; prius ad aliud prædicamentum reduci, tanquam separatim considerata, & tunc demum, ut habitudinem, & affectionem ad alterum habentia ad ea, quæ ad aliquid sunt referri; quippe prius aliquid sine habitudine, ac relatione esse necesse est, ac tunc habitudinem in ipso considerare: sic ille.

Secundo probatur verbis D. Thomæ opusc. 48. cap. 2. de ad aliquid, ubi sic ait. Cum autem dico quod similitudo fortis habet albedinem eius ut fundamentum, non est intelligendum, quod similitudo fortis sit aliqua res in sorte alia ab ipsa albedine; sed solum est ipsa albedo, ut se habet ad albedinem Platonis, ut ad terminum; si enim similitudo adderet supra albedinem fortis aliquam rem nullo modo posset aliquis alicui fieri similis sine sui mutatione ut patet; nam si quis in India fieret modo albus, fieret similis mihi, & ego sibi nulla in me facta mutatione; similitudo enim in me nullam rem addit supra albedinem, quæ realiter sit in me, ut patet: sic ille.

Quibus verbis D. Thomas non solum profert suam sententiam: sed etiam ratione de mutatione in illis inclusa probat efficaciter illam: quæ ratio tam probat de distinctione reali, quam modali; nam etiam si non ut res: sed solum ut modus distingueretur relatio, non posset sine aliqua reali mutatione fieri in subiecto; atqui ex verbis Divi Thomæ fit sine mutatione vlla: ergo relatio nec realiter, neque ex natura rei distinguitur à suo fundamento.

Dices adhuc posse responderi à D. Thomæ non affirmari identitatem relationis, & fundamenti; tum, quia illud de mutatione intelligitur de motu per se, qui non datur ad relationem, tum quia modus ex eo quod modus sit, & non res, non est alia res à suo fundamento.

Contra, quia D. Thomas clare indicat identitatem illis verbis, sed solum est ipsa albedo. Ad id, quod dicitur de motu per se responderi potest, D. Thomam omnem mutationem negasse illis verbis, nullo modo, &c. at mutatio per accidens est vere mutatio sicut Navarchus vere mutatur in navi: ergo non solum motum per se, sed etiam mutationem per accidens, negat ut patet ex illo simili, quo utitur, videlicet, quia ex eo quod in India homo fiat albus, cur ego mutabor in Hispania; unde concludit illis verbis, nulla in me facta mutatione. Videns autem Angelicus Doctor quid inde sequeretur, id objicit, & explicat distinctionem